

Cum Bono DEO. X211375

**GRATIARUM  
ACTIUNCULA AD  
CHRISTUM, PRO REDEM-  
TIONE GENERIS HOMINUM,**

Quam in illustri, quæ Misenæ est, scholâ, præ-  
sentibus nobilissimo Inspectore, Rectore, verbi Mi-  
nistris, Oeconomo, & collegis ad cœtum scholasticum, ipso  
die crucifixionis Dominicæ, quem vulgò Charitatis vo-  
cant ad imitationem Ciceronis pro M. Marcello  
effinxit, & memoriter habuit

**ADAMUS-FRIDERICHUS  
DE SCHÖNBERG in Reichenbrand.**

D. Bernh. Serm. 43. in cant.

*Hæc mea sublimior Philosophia, scire Jesum, & hunc  
crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet,  
ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem  
in cruce. Hæc meditari dixi sapientiam, in ipso  
perfectionem Justitiæ constitui, plenitudinem  
scientiæ, divitias salutis, copias meritorum.*

FRIBERGÆ typis exscribebat Georgius  
Hoffmannus, Anno M. DC. XXIII.

Lotte

GRATIA

ACTUM

CHRISTUM

TOME

ADAMUS

DE

ADAMUS

DE



Fragment of text from the adjacent page, including letters 'D', 'D', 'de', 'C', and words 'vol', 'nesc', 'te es', 'debe', 'crev', 'Stua'.



VIRIS

NOBILISSIMIS,  
VERE MAGNIFICIS,  
MAXIMEQVE STRENUIS  
DN. CASPARI-RUDOLPHO

de SCHÖNBERG in Wülsdruff/

Consiliario Sereniss. Sax. Electoris primario,  
& fodinarum Metallicarum Præfecto  
supremo, &c.

DN. GEORGIO-FRIDERICHO

de SCHÖNBERG in Limpach & Mittelfrohna/

Rerum metallicarum itidem Præfecto.

*Dominis Patruis, Propatri & Tutori, meis,  
quàm humillimè suspiciendis.*

S. P. D.

Nobilissimi, verè Magnifici & maximè  
strenui Viri,

**C**ausa, quamobrem pauculas hasce pagellas te-  
nui filo conscriptas vobis mittam, nata mihi est ex ve-  
strâ in me plûs, quàm paternâ benevolentia, & bene-  
volo amore, quem ita in me hætenus declarastis, ut omninò  
nesciam, quibus vos verbis salutare, quâ eloquentiæ felicita-  
te efferre, quâ gratiâ prosequi debeam. Vobis, inquam, hæc  
debeantur, quorum sinu radices egi, quorum beneficio ex-  
crevi: Ac proinde ingratisimus omnium futurus, si non hæc  
studiorum in sinum vestrum deponerem incrementa. - Ea-

A 2

propter

propter habetis hic, viri Magnifici, perpaucas hasce pagellas,  
quibus inprimi curavi oratiunculam exiguo, rudi, presso, &  
demisso stylo compositam, atq; expromptâ memoriâ in hac Se-  
reniss. Sax. Electoris, quæ Misena est, scholâ recitatam. Al-  
tera caussa, quam propter vobis, Viri Nobilissimi, puerile hoc  
exercitium nuncupare voluerim, est, quòd satis superq; mihi  
constet de summo vestro in rem pietatis amore, & immensâ  
ejusdem promovendæ cupiditate, quorum hoc est rari affe-  
ctûs, quo multis pralucetis, istud eximia virtutis, quia pra-  
lucetis. Ne itaq; dedignemini, Viri Nobilissimi, fronte sere-  
nâ fatum hunc meum primum tollere, sed semihorulam re-  
bus, quibus distenti estis, gravissimis suffurati oculis benignis  
pellegite materiam hanc sacram, nudulâ equidem balbutie  
vestitam, sed propter res tamen, quas tractat, lectione non in-  
dignam. Qui nescit viam ad mare, amnem sibi comitem qua-  
rit, qui ad favorem potentiorum, Musarum presidium,  
Valete mihi, Viri Nobilissimi, benè, & feliciter, quod opto,  
& in tutelam me vestram & favorem recipite, quam humi-  
liter exambio: Aliquando etiam majoris, & maturioris pro-  
fectûs scripta expectate, quod calidis à Deo precibus contendo.  
Dabam è Septemvirali ad Albim ludo, ipso die crucifixi, &  
sepulti Servatoris, quem ἐγλαρισὴν nominasse veteres, auctor  
est Joannes Metropolitanus, Anno M. DC. XXIII.

V. V. Nobilissimis Magnifi-  
centiis & strenuitatibus,

Ab humili cultu

ADAMUS-FRIDERICHUS  
de SCHÖNBERG in  
Reichenbrand.

Cum

**D**iuturni silentii, nobilissime Domine Inspe-  
ctor, ALBERTE à BERNSTEIN, clarissi-  
me Domine Rector, M. BECHMANN, vos quo-  
que viri Reverendi, Domine Oeconome, & cete-  
ri præceptores mei summo operè colendi, amandi,  
tuq; pulcerrima Juvenum corona: Diuturni, in-  
quam, silentii, quo eram hisce aliquot septima-  
nis usus, finem hodiernus dies attulit. Tantam  
enim in tantis sceleribus mansuetudinem, tam  
inusitatam inauditamq; in tantâ Majestate cle-  
mentiam, tam deniq; incredibilem, ac divinam  
in tam afflictis, ac perditis rebus juvandi cupidi-  
tatem in secundâ Trinitatis personâ conspicuam  
necessariò in memoriam redigere debeo. Christo  
enim acerbissimo mortis genere è medio subla-  
to, & tertiâ post luce cum gloriâ resuscitato, non  
solum meam, sed & vestram, adeoque omnium  
omninò hominum veram salutem vindicatam,  
assertam, ac plenariè restitutam puto. Doleba-  
mus, auditores, ac vehementer angebamur, cum  
videremus, nos, qui ad imaginem DEI, hoc est,  
perfectam justitiam, & veram sanctimoniam, ut  
amici essemus virtutum, non effectores crimi-  
num, conditi eramus, per labem originariam à  
DEO prorsus alienos factos, vinculis Satanæ

constrictos, æternisq; inferorum suppliciis ad-  
dictos esse. Jàm verò tu, Ò CHRIS TE, consue-  
tudinem, & integritatem pristinae vitæ & mihi,  
& omnibus interclusam iterùm aperuisti, & ad  
benè de omni nostrâ salute sperandum, quasi si-  
gnum, ac tropæum aliquod sustulisti. Et adhuc  
dubitabimus, paternè erga nos affectum esse  
DEUM, qui, ut parceretur omnibus, non peper-  
cit Filio suo unigenæ. Ergò benedictus sit DEUS,  
& Pater Domini nostri JESU CHRISTI, DEUS  
misericordiarum, & totius consolationis! Non  
solum autem beneficium istoc nobis gloriosum,  
nobis, inquam, miseris ac perditis mortalibus,  
& non sanctis Angelis, aut Diabolis: sed etiam,  
& quidem multò maximè tibi, Ò CHRIS TE ge-  
neris nostri assertor, gloriosum est, quandoqui-  
dem, inter alia tua magnifica facta, Ò PIENTIS-  
SIME SERVATOR, nullum majus, excellentius  
nullum, nullum augustius est, quàm, quòd vi-  
ctima pro nobis factus, tristissimum mortis ge-  
nus, ac planè tragicam supplicii formam excipe-  
re non es dedignatus. De quâ constitui nunc  
plura dicere, vestram, Ò mei auditores, prolixam  
mihi patientiam, & benevolam audientiam pol-  
licitus.

Nullius equidem tantum est flumen Inge-  
nii, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaq;  
copia,

copia, quæ, tantum abest, ut plenariè exornare,  
ut vix etiam balbutiendo enarrare, multifaria  
tua, Ô CHRISTE, beneficia generi hominum præ-  
stita sustineat. Soleo apud animum mihi meum  
sæpiùs subjicere, quàm forti, quàmque poten-  
ti populum tuum manû ex Ægypto eduxeris,  
quantâ & quàm magnâ præliorum varietate ho-  
stes immanitate barbaros, multitudine innume-  
rabiles ejusdem populi represseris: quàm hodiè-  
que indulgenti prævaricationes nostras patien-  
tiâ prosequaris, peccata remittas & novo semper  
beneficiorum genere cumules: attamen ego  
hoc affirmaverim, nullam in his esse laudem am-  
pliolem, quàm eam, quam hodierno es die con-  
secutus. Namq; & Angeli aliquando & homi-  
nes, quanquam munere tuo, longè maxima edi-  
derunt miracula, quorum fama remotissimas  
etiam terræ partes opinione citiùs peragravit, &  
planè fuerunt istiusmodi, ut, nisi ea quis reveren-  
ter suspiciat, aut vehementer admiretur, non am-  
plius homo, sed stipes, sed, verbo Poëtæ, Marpe-  
sia cautes sit habendus: At verò hujus gloriæ,  
quam hodiè effusione sanguinis, & profusione  
vitæ es adeptus, socium habes neminem: totum  
hoc, quantumcumq; est, quod profectò maxi-  
mum est, totum est, inquam, tuum, & omnibus  
seculis exauditum. Nihil sibi existâ laude ange-  
lorum

lorum exercitus, nihil hominum multitudo de-  
cerpit. Per te quidem, ô C H R I S T E, facta sunt  
omnia: Tu enim in principio verbum eras apud  
D E U M, & sine te factum est nihil, quod factum  
est: Nondùm erant abyssi, & tu conceptus eras,  
quando D E U S præparabat cælos, tu aderas, quan-  
do circumdabat mari terminum suum, & leges  
ponebat aquis, eras cum eo, cuncta componens,  
delectabaris per singulos dies ludens coram eo,  
& delitiæ tuæ erant cum filiis hominum, usque  
adeo etiam, ut per te Deus pater hinc inde ab ini-  
tio sanctis locutus sit hominibus. Nec minùs,  
aliquantò etiam majus est hoc, quod omnia cre-  
ata adhuc facta recta conservas, præsentia corri-  
gis, futura disponis, non claudis aures, cum roga-  
mus præsentia, aperis, cum postulamus futura:  
sed tamen animum & iracundiam justissimam  
reprimere, adversariam gentem humanam non  
tantùm extollere jacentem, sed etiam in dignita-  
tem pristinam vindicare nihil tale promeren-  
tem, hæc qui faciat, non eum ego hominem,  
non angelum, sed misericordiam ipsam, sed D E-  
U M esse judico. Quamobrem etiam, ô mitissime  
Servator, laudes tuæ non nostris tantùm, sed  
omnium, quos Sol adspicit populorum, & gen-  
tium linguis deprædicabuntur, & nulla unquam  
ætas de factis tuis mirabiliter singularibus & sin-  
gulariter



gulariter mirabilibus conticescet. Ipsi profecto  
parietes, scamna, & subsellia hæc tibi nostra gra-  
tias agere gestiunt, non quod incorruptum veri-  
tatis testimonium dicere possint, sed quia hoc  
rei magnitudo exigit. Equidem triste admodum  
spectaculum erat; hominem ad imaginem Dei  
primitus conditum, æternis postea obnoxium  
factum esse pœnis, & perpetuis inferorum mise-  
riis subjectum. Cui cum tu dignitatem pristi-  
nam jam reddideris, & omnes homines, quan-  
tum est, jam penitus ab interitû vindicaveris,  
hocce die merito te jure maximis, & innumera-  
bilibus efferimus laudibus, dicentes: Tu, ô Do-  
mine, eduxisti animam nostram ab Inferno: vi-  
vificasti nos à descendentibus in lacum. Psallite  
Domino sancti ejus, & confitemini memoriæ  
sanctitatis ejus. Antea Angelorum tantum lin-  
guis Majestas tua deprecata & collaudata fuis-  
set, si homo æternis mactatus fuisset ignibus,  
quoniam non est in morte, qui memor sit tui. In  
Inferno autem quis gratias aget tibi? Nunc verò  
nos quoq; homines sapientiæ & benevolentia  
tuæ admirabili judicio conservati, unà cum an-  
gelis, & geniis cœlestibus, summo te jure lauda-  
mus in cymbalis benè sonantibus, in cymbalis  
jubilationis. Laudamus te, quia eripuisti nos,  
cum nos circumdarent dolores mortis, & in-  
ferni.

B

ferni.

ferri. Benedicite Domino omnes angeli ejus,  
facientes verbum ejus ad audiendum vocem ser-  
monum ejus. Benedicite Domino omnes exer-  
citus ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem  
ejus. Benedicite Domino omnia opera ejus in  
omni loco dominationis ejus. Antea semper  
equidem Patri tuo fuisti obediens, siquidem pro-  
fundâ, & æternum commemorabili demissione  
humanam assumisti naturam, reliqua omnia  
clementer & moderatè, comiter & jucundè egi-  
sti: Hodie verò etiam obedientiam istam lucu-  
lento quodam signo planam & testatam fecisti.  
Patri namque tuo fuisti obediens usque ad mor-  
tem, mortem autem crucis teterrimam. Ut in-  
didem certissimis & indubiis omninò rationum  
momentis concludere possimus, gravissimam  
DEI iram nunc Filii obedientiam esse placatam,  
nostram inobedientiam Christi obedientiam esse  
deletam, peccatorum nostrorum vulnera Chri-  
sti vulneribus esse sanata, nos non amplius esse  
filios iræ, sed Filios & hæredes DEI, immò co-  
hæredes Christi. Quis jam accusabit electos Dei?  
quis est? qui condemnare vel ausit. Christus  
enim qui mortuus est, qui resurrexit, qui & est ad  
dextram DEI, interpellat pro nobis.

Magnum sanè, sed rarum fortè beneficium  
& officium fuit, quando Codrus Atheniensium  
ille

ille Rex mortem subiit spontaneam, ut modò sui  
conservarentur salvi & incolumes: Magnum  
profectò & istud, cum Isaacus Patri suo fuit obe-  
diens adeò, ut mortem, supremi numinis iussu,  
animo paratus esset ferre promptissimo. Magnum  
sanè, amicum pro amico innocente seu ultimum  
vitæ discrimen, seu mortem etiam ipsam subire.  
Qui verò pro inimicis & sceleratis mortem exci-  
pit spontaneam, is profectò declarat magnam in  
se charitatem esse, & maluisse se hostes suos bis  
redemptos, quàm semel perditos, & prostratos.  
Quare longè maximæ tuæ sunt, ô Christe, laudes,  
quas neq; angelorum nec hominum ullus pro  
dignitate sat celebrare sustineat, si vel linguas  
centum oraque centum habeat. Verba desunt,  
oratio non suppetit, quâ hujus tanti benefacto-  
ris laudes efferamus, cujus tantus amor in mi-  
serrimum genus hominum jamjam penitus pe-  
riturum extitit, ut nostrâ causâ de cælo se demi-  
serit, nostrâ causâ sudorem emisit sanguineû,  
immensum illud & grave admodum peccato-  
rum onus, & virgam castigationis nobis debiram  
suis sufferre humeris non detrectaverit. Profectò  
tu, ô Christe, ipse pertulisti dolores nostros in  
corpore tuo precioso, sanguis nos tuus emunda-  
vit ab omni peccatorum labe. Tu delevisti chiro-  
graphum, quod erat adversus nos affixum cruci,

B 2

& tran-

& translocasti nos in regnum tuum gloriosum.  
De nobis itaq; , ô Christe, quos eduxisti è lacû,  
in quo non inveniebatur aqua, quos hæredes re-  
gni tui, & cohæredes tuos scripsisti, patri tuo re-  
conciliatos. De nobis, inquam, quoties cogita-  
bis fratribus tuis, toties de singulari tuâ in nos  
misericordiâ, deq; merito omnibus seculis inau-  
dito & planè ineffabili cogitabis.

Noli igitur intercedendo pro peccatis nô-  
stris gravissimis apud patrem tuum cœlestem un-  
quam defatigari. Age, ô Christe, da nobis Spi-  
ritum tuum sanctum, qui corda nostra eò flectat,  
ut ne deinceps cupiditatibus nequam, & vitæ li-  
center agendæ operemur, aut ad priora peccata  
gravissima simul, & plurima, quibus te quotidie  
alii infirmitate, alii impietate offendimus, rela-  
bamur, sed prætoriam illam viam vitæ sanctæ, &  
inculpatae ingressi, tibi, pro beneficio istoc glo-  
rioso, gratias persolvamus, quas hîc possumus  
maximas, & aliquando in domicilio illo beato-  
rum dignas, & plenarias. Tibi sit, ô Christe, cum  
Patre, & Spiritû sancto, æterna laus & perpetua  
gratiarum actio: tibi, inquam, qui inventor,  
inceptor, & perfector es nostræ salu-  
tis, ô Salus nostra.

DIXI.

JOAN-

JOANNIS BECHMANI

AD

ADAMUM-FRIDERICUM von

Schönberg in Reichenbrand / juvenem ap-

primè nobilem, illustris scholæ Misnensis

hodiè discipulum.

Π Α Ρ Α Ι Ν Ε Σ Ι Σ.

**Q**ui ad illustris scholæ Misnensis disciplinam mittuntur, sive habeant adolescentes illustres majorum imagines, & amplas opes, sive humili loco orti sint, tenuiq; fortuna, eos statim in primo ad scholam accessu graviter docere soleo, quantum decus sit illustrium scholarum, & quæ in iis propagatur, virtutis & sapientiæ: Hoc enim ni facerem, pauperes & ignobiles animum in his postremis & præposteris mundi præcipitantis temporibus, in hoc perturbato omnium rerum ordine atq; statu, qui hodiè planè Martius est, cui cum artibus nihil commune, animum abjicerent, studia desererent, & quòvis potius se converterent, quàm ad ingenii cultum: divites verò & nobiles magnos spiritus sumerent, spretis animi dotibus luxui se dederent, gente nobiles manerent, mente non fierent. Rectè sic me facere arbitror: magnoperè enim cupio non solùm de paucis in hoc meo rectorio officio, sed etiam de universa republica ad posteritatem benè mereri, judicans, in recta juventutis educatione cum suam cujusq; privatam, tum publicam harum terrarum, adeoq; totius imperii salutem & felicitatem esse positam. Quare hoc meum litteratam juventutem admonendi studium etsi laboriosum & tædiosum, nusquam tamen nimium aut inutile videri debet, nedum ab inculta barbarie, misera balbutie reprehendi: ex re enim est reip. Christianæ alios in

rectam viam duci, alios in officio retineri & confirmari. Quid tecum in primo disciplinae nostrae scholasticae vestibulo egerim, bene poteris meminisse. Nobilitatem, dixi, non consistere in talis, non in valido corporis habitu, non in morum & vestium luxurie, sed in bona animi & corporis temperie, non in veteri avitarum imaginum claritate, sed in nova cujusque virtutum honestate: venisse te ad illustrem scholam Elect. Sax. quae hic Misena est, non exemplo Alcibiadis, qui ad Socratem venerat, & ei operam dare constituerat, ut in Rep. primum locum teneret, & in patria quamplurimum valeret, quod quia ex ejus consuetudine se consecuturum desperaverat, è schola abiit Socratica: Nam Socrates adolescentes ab otio & voluptatibus, avaritia & ambitione deterrebat, omnes ad humanitatem & modestiam invitabat. Durandum tibi, & temet rebus secundis servandum non semel cum imperio dixi, ut scientia & virtute abundantior, id est, melior ad tuos redires. A pietate & probitate studiorum primordia capienda esse, sedulo te monui, omnia prospera evenire Deum colenti, adversa spernenti iterum iterumque dixi. Huic posito solide fundamento artium & linguarum aedificium superstruendum existimavi. Cupiditatibus tuis te obsequi nolui, bonarum rationum auctoritatem te audire jussi. Quo genere scriptorum te maxime oblectari, & quotidie occupari voverim, ostendi, quorum videlicet lectione & consideratione diligenti & linguam confirmare, & mores, pectusque tuum posses erudire. Idem assidue fecerunt, qui mecum hic desudant hodie collegae, laboris patientissimi, tui amantissimi. Nobis itaque ducibus iter ad Musas feliciter ingressus es, cujus vestigia quam exquisita diligentia pressisses ut ostenderes, bis cathedram publice conscendisti. In prima equidem declamatiuncula recte personam summi philosophi

sophi Aristotelis per locos personarum deduxisti, phrasēs  
nitidas & tersas adhibuisti, sed in pronuntiatione alicubi  
errāsti, quod non miror: Nam facinus magnum & memo-  
rabile non fit sine periculo, præsertim si id primum facias:  
censuram etiam præceptorum tuorum æquo tulisti animo,  
bono tuorum æqualium exemplo. In altera, quam in lu-  
cem jam emittis, rectiūs stetisse mihi visus es: seposito  
enim omni metu, animo imperterritito editiorem locum  
occupabas, & quæ animo conceperas, breviter & memo-  
riter pronuntiabas, haud neglectis cūm corporis, tūm vo-  
cis affectibus, proposito tibi non infeliciter exemplo imi-  
tationis ad orationem Ciceronis pro M. Marcello, quam  
publicè in schola hac illustri debita fide & diligentia expli-  
cavi, quod nemo neget, nisi restibilis illa Momi soboles,  
quæ è theatro hujus vitæ haud prius exhibit, quàm fatiscens  
orbis circumacta fatali periodo illabatur. Is igitur mihi  
datus es, quem momordit objurgatio, quem laus & honor  
excitavit, gloria juvit, qui victus se emendavit, tu mihi jam  
eris alendus ambitu, à te consummationem expectabo  
virtutem. Mirificè probârunt hanc ingenii tui alacritatem,  
memoriæ firmitatem, quotquot te modestè perorantem  
audiverunt. Ego verò in publica lectione non solūm te  
collaudavi, sed etiam complexus sum benevolentia singu-  
lari, & hoc magis, quòd me ipse quoq; sive tuorum æqua-  
lium exemplo, sive opinione bona, quam de me cum ce-  
teris haberes, observare, & absq; ulla dubitatione sequi vi-  
dereris. Initia comparandæ tibi eloquentiæ rectè se habent  
in hoc secundo periculo, in quo non temerè ad declaman-  
dum profiliisti, sed ordine te secundum leges tangente vi-  
res tuas tentāsti, & ad majora te præparāsti rudiorum nau-  
tarum exemplo, qui priusquam triremem sibi gubernan-  
dam suscipiant, & se vasto mari committant, prius se parvo  
limbo

limbo exercent, & in littore navem regere discunt. In hoc  
adolescenciæ tuæ flexu disce admirari Aristotelem, perge  
amare & quotidie legere Ciceronem, cujus optimas ora-  
tiones Deus nobis reservavit, quum aliorum, ut Carbonis,  
Sulpitii, Catonis, Cottæ, monumenta bella barbarica, in-  
cendia & ruinæ subito sustulerint. Illum imitari adsuesce,  
non ut phrasas solum selectiores colligas, sed etiam admi-  
rabilem illam & augustam Oratoris sub continuato mem-  
brorum ductu eloquentiam observes. Non is imitari Ci-  
ceronem dicendus est, Melanchthone teste, qui excerptas  
ex illo sententias & versus quasi centones confuit, sed ha-  
bitum sibi quisq; faciat, ut ultrò se Ciceronis verba offe-  
rant. Non est tibi obscurum, quomodo culpam soleam pu-  
erilem infantiam, putantem, se vel ex sacro illo Silvæ volu-  
mine, vel ex thesauro facili negotio posse sibi cædere cel-  
sas disertæ orationis arbores, magnas colligere divitias.  
Qui in ista Silva ambulant, in avia ducuntur, & thesaurus  
interdum profert carbones. Indubitatò intelligat schola-  
stica nostra juvenus, ad vim eloquentiæ comparandam,  
naturam & artem communem haudquaquam sufficere,  
nec ullam silvam, aut thesaurum eam progenerare, sed ac-  
curatam planè & singularem oratorum in membris penè  
continuandis singulis observationem ubiq; singulari stu-  
dio notandã esse, qua adhibita semetipsam non relinquet,  
nec ullam studii eloquentiæ jacturam faciet. Hoc ideo  
eloquor, quia non sine singulari animi dolore animadver-  
to, ipsam in latinè dicendo infantiam omne omninò stu-  
dium, quod in imitando Cicerone ponitur, calumniæ scu-  
tica flagellare, summi oratoris limatam & amplam, copio-  
sam & fusam, generosam & continuatam observationem  
temerè insectari, & magis fastuosam illam, adeoq; in to-  
tum etiam superstitosam mendacissimè criminari. Hanc,  
de qua



de qua dico, infantiam valere sine: si enim eam amplexus fueris, nihil magis de comparanda eloquentia tenebis, quam ore canis ossam carnis in notissima fabula. Suis itaque eam frui somniis patere, & Ciceronem monstrato modo imitare, qui observata omni veterum forma, vim argumentorum ipsam à Demosthene, copiam à Platone, suavitatem ab Isocrate mutuatus est, neglectis dignitatem, corruptis puritatem, obscuris lucem, bene inventis confirmationem addidit, tantum abest, ut tantus orator naturæ temerarium ductum, & vulgatum communissimæ artis cursum ubique secutus, in structura etiam partium speciali & accurata, sine mente velut membra compilaret, sententias junxerit, orationis continuatæ ac fusæ seriem effuderit. Ita qui de Cicerone sentiat, eum suis deliciis perfrui sine perpetuis, ut Alcinoi cum suis Phæacibus: futurum enim est, ut, si semel alas in eloquendo expandat, non multum absit à jocularum artificiis, qui oculis species quasdam mirificas objiciunt, quum rerum prorsus nihil ipse Argus, qui totus, secundum Plautum, fuit oculus, videre possit.

Porro, quum studium oratorium cum poetico sit conjungendum, auctor tibi sum, ut id quoque excolas, & carmen Musis faventibus pangas: hac ratione tibi comparabis abundantioverborum & rerum copiam in utroque sermonis genere, tam pedestri, quam equestri, dexterius etiam pronunciabis, longas syllabas non corripies, breves non produces. Non paucos hodiè reperias cetera doctos, & in celsissimo honorum gradu constitutos viros, qui graviter dolentes more Phrygum serò jam sapiunt, optantque, ut citius in flore juventutis tantorum vitiorum à suis præceptoribus, quibus infelici fato usi sunt, admoniti fuissent: verba enim levicula eos interdum ita conturbant,

C

pronunci-

pronunciandi rationem ita labefactant, ut, nisi se accuratè  
observent, tùm se servare nequeant, & suæ eruditionis exi-  
stimationem tueri ita à suis magistris prima ætate neglecti,  
Quin & hoc te etiam intelligere hac ætate oportet, acrius  
tibi græcæ linguæ studium persequendum esse, quàm ha-  
ctenùs, nec deponendos græcos scriptores de manibus ali-  
orum nescio à quo esuriente græculo malè seductorum  
nobilium adolescentum exemplo, qui vel studio volupta-  
tum, vel quod gustum ambrosiæ non habent, æquales pa-  
resq; suos sui esse similes volunt, sive quòd meliora nesci-  
ant, sive quòd melioribus invideant. Haud ignoras, cui  
animantium generi publicè talis genii & ingenii adole-  
scentes solitus sim assimilare. Non dissimiles, dixi, eos esse  
vulpis Æsopicæ, quæ quùm in sentibus caudam amisisset,  
quotquot erant vulpeculæ, in concionem omnes convo-  
cavit, iisq; magno studio persuadere conata fuit, ut singulæ  
quoq; caudas præciderent, quod cuiq; non tam honori ef-  
sent, quàm oneri: fore etiam agiliores, & è quovis pericu-  
lo, quæ multa subirent quotidie, elapsuras nullo negotio.  
Non de re tenui, aut adscititio ornatu tecum ago, Schon-  
bergi, sed de ratione optimæ Græcorum disciplinæ, quæ  
sive animi vita, sive vitæ anima & rectè dici potest, & pror-  
sus haberi debet. Non relinques igitur græcarum littera-  
rum studiū, quo nullum prius & gravius est, quanquam non  
nego, alia esse gravissima, tibiq; minimè negligenda, nec  
putabis illo fieri, ut alia minus tibi colere liceat: Quicquid  
enim in græcæ linguæ studio excolendo operæ posueris,  
posueris utilissimè & optimè: ex hoc labore fructus capies  
uberrimos omni vitæ tuæ tempore, quodcunq; vitæ genus  
sectabere, sive totus semper eris in studiis sapientiæ, sive  
rem familiarem administrabis, sive artem militarem co-  
les, sive Remp. capeles. Non foret mihi difficile, Adamo  
Friderice,

Friderice, si tempus permittèret, & lex epistolica suade-  
ret, perversas malevolæ inscitæ censuras de abjiciendo  
prorsus à nobilibus pueris græcæ linguæ studio bonis ratio-  
nibus refellere, quod à me sæpè factum fuit publicè, & fie-  
ri potest alibi commodius, si pateris. Neq; verò te nolle ar-  
bitror, etsi opus non est: nec enim tibi cauda est præcisa,  
vales felici ingenio, vivida memoria, græcè legis benè, ele-  
gantissimos pingis characteres, in utraq; lingua ex mea  
*χρησασθαι* & qualicunq; *καλλιγραφή* observatos. Non bo-  
vi clitellas impono, nec perfectionem in omnibus græci  
studii partibus iniquè à te postulo, sed, ut id religiosè colas,  
& plerasq; saltem partes expleas, id est, non prorsus negli-  
gas, id verò seriò flagito: in generosis enim familiis debet  
propagari virtus, quæ in aliis est obscurior, in aliis illustri-  
or, ob hanc maximè causam, quòd non æquè bona omni-  
bus contingit educatio, quæ tibi tamen ex beneficio nobi-  
lissimæ tuæ familiæ contigit in hoc perillustri Misnensi gy-  
mnasio. Socratem apud Platonem audi, qui nobili indole  
natos perfectos virtute futuros arbitratur, si benè educen-  
tur, quod à teneris annis fieri oportere multis in locis do-  
cet, & alicubi in hoc ipso omnia esse contendit, quam sen-  
tentiam, ut oraculum, amplexus, quicquid tibi suadeo, ex  
monitis Socratis suadeo. Ex nobilissima tua familia duo  
tibi propono exempla, quæ apud neminem non valent,  
quæ si sequaris, haud fallente gradu ad summos dignitatum  
gradus uberiore doctrina auctus adscendes. Aspice ma-  
gnum illum & verè nobilem **CASPARUM-RUDOL-  
PHUM** de **SCHÖNBERG**, patruum tuum, uti vocas. Quan-  
ta is cum laude honores publicos gerat, supremo loco rem-  
ministret metallicam, testis est non solum Dresda, Wuls-  
druffa, sed etiam universa Misnia, quin & ejusdem fides,  
labor, dexteritas in omnibus Serenissimi nostri Elect. Sax.

negotiis maximè arduis explorata sunt, hodieq; apparent. Sed quid ego tibi hæc narro, quorum nihil te fugit? Aspice quoq; GEORGIUM-FRIDERICUM de SCHÖNBERG, pro patrem & tutorem tuum, qui summo cum honore inexhaustis ex Dei benedictione metallorum Fribergensium fodinis præest. Ingratus sis, ni eos colas & magnificias. Iners sis, ni te ipsorum commoveant virtutes. Quem mundi cardinem fama nominis illorum non attigit? quorsùm sese ipsorum eruditio, & politica prudentia non penetravit? Hos tibi imitandos propono, ut eorum virtutes æmulatus ad veram laudem pervenias, & metam studiorum attingas, approbantibus omnibus bonis, & rectè de studiis humanitatis existimantibus. Propono hos tibi imitandos, non ut Gnatho, adulator turpissimus, sed ut tuorum morum & studiorum rector, ordinis scholastici minimè tiro, neq; gregarius, cum hac in re mihi nil quæram, nihil curiosè ambiam. Temerè is facit, qui de rebus non intellectis censet, aut suo arbitrato quacunq; in re quid constituit. Hi tanta virtutum præstantia nobiles viri, promotores & amici mei singularibus studiis colendi, omninò pro eo, quod in te gerunt, imperio volunt, ne te auferant à semel suscepto studiorum curriculo voluptates, quas pleriq; nobilium ponunt in nihil agendo, in somno, in alea, in conviviis, quæ omnibus honestis adversantur studiis. Desperatus ille mihi est, qui se voluptatibus corporis mancipat, nec ullam turpiorem aut graviolem servitutem hac servitute judico. Quare & eam, ut cœpisti, auctoritate legum retractus detestabere non solum in hac illustri schola, sed etiam in academiis, ad quas si exacto apud nos sexennio tui tutores te mittent, fideli, docto, & perito magistro te committent, quàm sine tali auriga vitæ tuæ quadrigas nequeas gubernare. Nec enim eos latet, ut è cavea, fenestra  
stella

Stella reclusa, aviculæ in liberum æthera quocunq; avolant,  
nec à visco, nec ab aucupis reticulo, nec ab unguibus acci-  
pitris tutæ sunt: sic juniores nobiles, qui è nidis scholarum  
evolant, sui, ut refertur, juris facti, nec imperium, nec mo-  
nita, nec præcepta, si qua meminerint, audire, si humana-  
rum rerum, & academicorum studiorum perito duce ca-  
reant: oblivisci quoq; omnia illa, quæ olim didicerunt, nec  
jam sese ipsos nosse, quod principium est unicuiq; ad salu-  
tem. Tu semper te nosse perge, & feliciter in studiis pro-  
gredere. Memoriam imprimis quiescere non sine. Nihil  
est, quod æquè labore gaudeat, & augeatur. Commenda  
ei quotidie aliquid. Quò plura commendabis, ait Vives,  
hoc custodiet omnia fidelius, quò pauciora, hoc infidelius:  
Memoria enim est quasi arca penuaria, in quam, quæ me-  
minisse velis, reconde parvo negotio, & minore sic depro-  
me eadem, quæcunq; lubeat, cum & quoties opus est, ut in  
ea, quæ depromseris, non minùs firmiter hæreant, ac si  
marmor, ærivo incisa sint. Ad hunc modum, ausculta  
Schönbergi, potes & accipere, & reddere visa, audita, le-  
cta, ideoq; adhuc dico, te bona valere memoria, pro qua  
Deo largitori omnium felicitatis tuæ partium ex animo  
gratias age, eamq; quotidie excole, sic solidos tuorum stu-  
diorum fructus percipies, sic veræ & distinctæ scientiæ  
quidquam assequeris.

Non te flagito stupendam memoriam HIPPIÆ apud  
Platonem, qui, se nomina quinquaginta semel tantum au-  
dita pronunciare posse, gloriatur. Non morosè posco SE-  
NECÆ memoriam, qua ita floruit, ut non tantum ad usum  
sufficeret, sed in miraculum usq; procederet: Duo enim  
millia nominum recitata, quo ordine recitata fuissent, re-  
ferre potuit, & ab iis, qui ad præceptorem audiendum con-  
venissent, singulos versus à singulis datos, quàm plures,  
quàm

quàm ducenti, efficerentur, ab ultimo incipiens ad pri-  
mum recitare. Hujus felicem prædico memoriam, quia  
potuit non tantum complecti, quæ voluit, sed etiam con-  
tinere, quæ accepit. Nec à te desidero prodigiosam illam  
CORSI memoriam, qui verborum multa millia ex omni-  
bus linguis significantia, non significantia, neq; quicquam  
cohærentia, semel audita, quo ordine accepisset, vel, si  
quis juberet, retrogrado, vel quocunq; alio modo redde-  
re. Mera somnia me tibi narrare forsàn putas, Schönber-  
gi, sed non sunt. Adi MURETUM, qui, quæ de CORSO  
refero, testimoniis plurium confirmat. Deniq; CORSUS  
ille affirmârat, se triginta sex millia nominum eo modo re-  
citare posse. Hic gloriosus sophista absq; omni dubio ma-  
lis artibus in augenda sua memoria usus est, quæ apud Ita-  
los non sunt infrequentes, & quæ istius cœli mollities est,  
interdum in aliqua laudis parte ponuntur. SENECE, quin  
divina fuerit, dubium non est, quando ille tantus vir tanta  
& doctrina & virtute fuit, quantam & historia, & viri mo-  
numenta prædicant. Talis fuit & seculo ante hoc summi  
viri, JULI CÆSARIS SCALIGERI: Hic enim de se te-  
statur ea, quam filio dictavit ad amicum, epistola, homo  
verus, & inanis gloriæ contemptor, utpote veræ, quoquò te-  
verteres, abundans, quod diurnis expeditis negotiis vespe-  
ri ad sexaginta versus (de tot alteris asseverat filius) sæpè  
commentatus fuerit, quos post cœnam, alia negotia ve-  
spertina, somnum, alia negotia matutina postridiè & pran-  
sus, ut concepisset, vesperi ad verbum sine ulla hæsitazione  
scribi jusserit: quod verò amplius est, decem & septem  
Æschyli versus semel tantum lectos, summa fide, memo-  
riter ilicò reddiderit, cujus tot vel pauciores versus lectos  
subitò intelligere non imperito græci sermonis arduum  
est.

Ego,

Ego, ut ceteris à Deo tibi concessis naturalibus do-  
nis, sic naturali memoria contentus sum, qua qui destitui-  
tur, ei ad omne genus doctrinæ aditus interclusus est: cui  
ejusdem aliquid vel minimum suppetit, eam colere ne-  
cesse habet, ut proficiat in litteris. Tibi verò, Schönber-  
gi, multum memoriæ suppetit, eam in hac ætate exerce,  
at in quibus? nec enim in quibuscunq;. Palàm impia pror-  
sus abjice - *εις τὰ εὐταροῦν ἠερέοντα*

*τῆλε μάλ', ἢ χι βαδισόν ὑπὸ χθονός. Πρὸ βέρεθροῦ.*

Spurca detestare, inanes nugas, & vulgaria quæq; relinque,  
quæ ignorare, vel si noris, oblivisci, quàm meminisse, fa-  
tius sit. Exerce in optimis, in lectissima quæq; oculos men-  
temq; defige, primùm pauca & facilia disce, & quæ discere  
conaris, fac etiam intelligas: quæ quis enim non intelli-  
git, nec judicat, ea discere existimari non potest, si de re-  
bus agas: verba quis fortè ediscat, & versus in morem pfit-  
taci. Non accumula memoriam aliis ante, quàm superio-  
ra benè memineris, repète initio sapè, & tantisper, dum  
in mente radices egerint. Cum ea memoriæ ita credidisti,  
sine eam quiescere paululum, & aliquando pòst ab ea velu-  
ti depositum reposce, & quæ tibi cunq; ediscenda propo-  
sueris, ea de nocte quater aut quinquies attentissimus legi-  
to, hinc ito cubitum, de mane exigito à memoria ratio-  
nem eorum, quæ pridie credidisti. Hanc comparandæ  
memoriæ rationem ex scriptoribus probatissimis adhuc  
adolescens didici, nec unquam investigavi artificialem  
memoriam, sive eam SIMONIDES, ut ajunt, sive quis  
alius, primus invenerit: etiam dubito, audiendine sint,  
qui tibi ejus informationem pollicentur; nec nego tamen  
esse, quod dicatur, quod in usus hosce depromatur. Simul  
& hoc ad alias omnes dotes animi acquirendas pertinet,  
ut corporis voluptatibus renuncies, & totum te tempe-  
rantia

rantia imperio subjicias. Minus studio sapientia cum in-  
temperante vita commercii est, quam fullonia cum car-  
bonaria. Quorum mens est in patinis, non potest esse in pa-  
ginis: quorum mens semper in vino natat, nunquam in  
libro habitat. Quò igitur propius ad temperantiam ani-  
mum composueris, hoc majus animi bonorum adipisce-  
ris, & ominò futurum est, ut tua memoria multis sapien-  
tia præceptis abundet, & multò plura capere quasi deside-  
ret, & retinere possit. Cur hoc pluribus utile, tibi necessa-  
rium, mihi honestum augendi memoriam consilium,  
quod veritasvé pro virtute, an virtus pro veritate promul-  
gârit, fors dubites, quin divina sapientia utriq; hoc modo  
consultum voluit, cur id tibi & tuis æqualibus ita roganti-  
bus non occinam? Soleo ita de verborum memoria judi-  
care, haud negans, eam quoq; esse rerum, de qua quid quo-  
modoq; sentiam, alibi scholæ illustri aperiam, ne via præ-  
monstrata minùs aberret, & ad optatam studiorum metam  
procurrat feliciùs.

Finem quidem hujus meæ paternæ cohortationis fa-  
cio, tu verò non facies finem eam legendi, ut, sicubi erres,  
ipse te in viam revoces, & in iis, quæ rectè facis, animum  
confirmes, & te quotidie superes omnium gloriosissima  
potitus victoria, ut Plato judicabat. Longius eam pro-  
dixi, quam initio constitueram provectus sive quadam er-  
ga te singulari benevolentia, sive more quodam meo: Non  
enim ut lentè ad hoc genus scribendi accedo, ita celeriter  
me expedio, neq; tam orationis venustate, quam rerum  
scholasticarum vetustate eruditus ingeniis placere studeo.  
Pergam quoq; divina opitulante gratia cum de universa  
juventute, tum verò etiam de Misnensi nobilitate optimè  
mereri nec vel tantillum curans imperitæ garrulitatis ser-  
mones ineptissimè garrientis de suo tempore, quod sine  
dubio



dubio fuit ignaviané dicam, an inscitia? quo scilicet tales  
compellationes publicas ad ingenuos adolescentes nemo  
perscribere, nedum typis committere ausus sit. Quis verò  
prohibuit Phalaris suis ferulis? Me certè non ferunt, nec  
ferient, me inanes isti garritus non magis afficient, quàm  
hac æstate prætervolitantium culicum susurri: Istius enim  
temporis consuetudo, quibus cum nata est, cum iisdem  
occasura nihil valere potest, multò minùs opinio tam im-  
becillæ matris nihili filia. D E U M supremum omnium  
scholarum rectorem supplex veneror, ne sentinarius aut  
remex, excusso per calumniæ tempestatem hujus Argus  
nauclo, clavum arripiat, ac illustris hæc navis in summa  
tranquillitate, & placida tam doctrinæ, quàm disciplinæ  
amicè inter se conspirantis aura in scopulos illisa, & ali-  
quot locis convulsa mare hauriat Murcia, aut Vacunæ.  
Benè vale, juvenis nobilissime, bonarum artium ac lin-  
guarum doctrinam ama, disciplinam tolera, & disce apud  
me semper *χολαστικοτροπεφορεῖν*: aliter enim non constant  
hæc sacra nostra scholastica. Misena in illustri ludo Elect.

Saxon. Calendis Maji, Anno ultimæ Dei patientiæ

1693. MDCCXCIII. quo mirabili *Διποθεωσθ*

Morpheus fiet Orpheus.



D

JUVE-

JUVENI APPRIME NOBILI  
ADAMO-FRIDERICO  
von Schönberg in Reichenbrand /

condiscipulo nostro, breviter & memoriter  
in illustri schola Misnensi peroranti sequen-  
tibus versiculis applaudimus.

I.

**S**icut Erythraeis auri velata lapillis  
Pura nitela, viris gratior esse solet:  
Ortū animus cretus meliori sanguinis, almam  
Qui fovet Eusebien, sic mage gratus erit.  
Te melior clarat, SCHÖNBERGI, sanguis, inumbrat  
Atq; animum Eusebies, ô bone! rarus amor,  
Dum merita eloquii Christi decorata nitore  
Evulgas, doctis conspicienda oculis.  
Ergò tibi & majus decus, & laus inde resurget:  
Perge ita, non Pietas deseruisse potest!

Balthasar Suevius Scheiben-  
bergenfis.




II.

**D**otibus ingenii fulges, SCHÖNBERGE, loquelam  
Cui promsit Latiam Suada tagace manū.  
Ore Pericleo grates pro morte sonabas  
CHRISTO, Suadela ô mellea vena tua!

Sic

*Sic tibi, maeste animi, generis, virtutis honesto,  
Plus famam Pallas, quam fera bella ferunt,  
I niveis Pindi fastigia scandere cygnis,  
Nominis invenies clara brabea tui.  
Nobilis ingenii fulgor te nobilem adornat,  
Candide nobilium flos, juvenumq; decus.*

Benjamin Starck Mitwei-  
da-Misnicus.



PLATO νόμων Ε.

Δεῖ δὴ πάντα ἄνδρα ἐν πρὸς ἐν τῷτο ἀπέυδειν ἐν πάσαις πόλε-  
σιν, ὅπως μήτε αὐτὸς κίβδηλῶ ποτε φακῆσαι ὄτωδεν, ἀπλῆς  
δὲ καὶ ἀληθῆς αἰεὶ, μήτε ἄλλῶ τοῖστῶ ὦν αὐτὸν ἀπατήσῃ.

Oportet sanè, inquit, unumquemq; utrumq; æquè si-  
mul, omni studio matureq; agere in quacunq; repu-  
blica: tum quemadmodum nec ipse quis unquam cui-  
quam adulterinus videatur, sed simplex & verax in omni-  
bus: tum quemadmodum neq; alius, qui illiusmodi sit,  
ipsum in fraudem inducat,



F I N I S.

Ze 2710

Sic tibi macta...  
Pia...  
I...  
Nominis...  
Nobilis...  
Car... nobilitatis...

Ben...  
de...  
de...



P. A. T. O. ...

Δ...  
...  
...

Portet...  
...  
...  
...  
...  
... in fradem inducat.



E I N I S

Handwritten notes or signatures in the bottom right corner.



QK. 319.

v. Sch

Cum Bono

GRATIA

ACTIUNC

CHRISTUM, P  
TIONE GENERIS

Quam in illustri, quæ Mi  
sentibus nobilissimo Inspector  
nistris, Oeconomo, & collegis ad  
die crucifixionis Dominicæ, qu  
cant ad imitationem Cicero  
effinxit, & memor

ADAMUS-FRII  
DE SCHÖNBERG

D. Bernh. Serm. 4

*Hæc mea sublimior Philosophia  
crucifixum. Non requiro,  
ubi pascat in meridie, que  
in cruce. Hæc meditari a  
perfectionem Justitiæ con  
scientiæ, divitiæ salutis, e*

FRIBERGÆ typis excu  
Hoffmannus, Anno

1. Lotter

